

saluum facere quod perierat. Accedit difficilis Librarii manus, quam Sec. XIII. habeo, quo Roscelini, Abaelardi, Berengarii, Gilb. Porretani &c. Philosophus jam latius Theologorum scholas peruaferat.

Clare sunt ualles, quia ualles nomine claras

Clarior instituit relligione pater.

Fama patris uitalis odor, ualidumque vetusto

Heu viciis fidei robur in orbe fuit.

Spirat adhuc, celerisque noti uelocior alis

Evolat, ac dulces promit ubique modos.

Nempe nouis ludebat adhuc puerilis in annis

Mens, cum iam mentis floruit intus honor. &c.

Habes fat facilem venam ignoti Modulatoris, qui finit:

At modo succubuit titubans heu musa, nec audet

Febricitans trepidis edere plura sonis.

Expliciunt uersus cuiusdam amatoris sancti bernhardi.

CCCCXXV.

R. 48 Codex membraneus lat. nunc Sec. XV. est enim rescriptus, ductibus, qui etiamnum adparent, faltem Seculum VII. loquentibus; Folior. 62. f. min. per duas columnas bene exaratus, rubricis distinctus, et olim, ut p. 1. subnotatur, *monachorum congregationis sancte Justine de padua deputatus monasterio sanctorum Seuerini et Sossij de neapoli*, continet D. Bernardi Claraevall. Abb. Sermones in *Cantica Canticor.* Inscriptio miniata est: *Bernardi clareuallensis abbatis super cantica canticorum sermo primus incipit.* Initium: *Uobis Fratres alia quam aliis de seculo*

&c. Finis *Sermone LXXXVI.* quousque uidelicet Autor laborem perduxit: *ut filij lucis inquit ambulate.* Textus cum edit. Maur. T. IV. col. 1267. probe conspiciat. Adtextum est ad calcem Folium manu Sec. XII. luculente rescriptum, continens expositionem *Psalmi LXVII. v. Si dormiatis inter medios clericos &c.* T. IV. edit. Maur. Opp. Augustini col. 674 — 75. Vitio compactoris Membranae in Codice mire turbatae sunt.

CCCCXXVI.

Codex membraneus lat. Sec. R. 16 XIII. Folior. nunc 154. f. per du-